

## Satura Tulliana.

---

I In tertii DE RE PUBLICA libri fragmentis hoc fertur (5, 9) servatum a Nonio pag. 263 l. *calumnia* :

*ut Carneadi respondeatis, qui saepe optimas causas ingenii calumnia ludificari solet.*

Spectare haec ad eam orationem, quam ex Carneadis sententia L. Furius Philus in iustitiam habere fictus erat, ut consentaneum est, ita non fugit editorem principem, qui adductus scilicet Ambrosii testimonio de off. min. I 12, 43 et Augustini, qui de civ. Dei II 21 Furium ait purgavisse praecipue ne hoc ipse sentire crederetur, sine iniustitia regi non posse rem publicam, eam in sententiam supplere illa conatus est sic *<neque ego hercle ex mea animi sententia loquar, sed>* ut Carneadi respondeatis. Sed ita conformatam sententiam habere aliquid contorti addendumque certe fuisse auctoris nomini *tamquam* vel talem particulam cum intellexisset Buechelerus mus. Rhen. vol. XIII p. 594 seq., adhibita Maii adnotatione, qua is scripserat in quattuor codicibus Vaticanis esse *ut Carneadis respondentis*, difficultatem illam sic instituit tollere *<neque hanc tamquam meam orationem vos volo accipere, sed>* ut Carneadi respondentis, hoc addito, ex ambigua nominis proprii forma (quam ipse genetivi casus esse vult) natam esse verbi quoque varietatem. sed de ea varietate potest opinor in varias partes disputari: illud fateor me non intellegere, quo modo respondendi verbum accipiendum putemus aut cuinam ille cogitandus sit respondere. nam si quis quasi quandam *παλιψηδίαν* fuisse dicat eam Carneadis orationem, qua is tollere videretur iustitiam subversis eis, quae pridie eius in laudem collegisset, hac certe, quae apud Tullium est, oratione Carneadea non respondetur, sed ut ad eam respondeant lacessi finguntur iustitiae patroni; nimirum Cicero priore oratione impugnari fecit iustitiam, quo facilius defenderetur eadem atque

laudaretur posteriore<sup>1</sup>. atque ita rem se habere, si nihil ex his libris servatum esset, disceremus ex Augustino, qui loco quem dixi postquam enarravit quae apud Ciceronem leguntur II 42, 69, sic pergit: *ac deinde cum aliquanto latius et uberius disseruisset* (Scipio), *quantum prodesset iustitia civitati, quantumque obesset si afuisset, suscepit deinde Philus . . . et poposcit, ut haec ipsa quaestio diligentius tractaretur ac de iustitia plura dicerentur propter illud, quod iam vulgo ferebatur, rem publicam geri sine iniuria non posse.* Qua re cum nec Maii ratio stare possit nec Buecheleri, commune earum fundamentum non satis stabile esse suspicamur, eam dicimus opinionem, qua verbis illis apud Nonium servatis contineri putatur Philii excusatio. atque in verbis quidem ipsis nihil sane inest excusationis; quibus sic ut plerisque libris traduntur integro iudicio perpensis nihil aptius videtur posse suppleri quam petendi verbum vel poscendi. arbitramur igitur — nec nos primi, sed multo ante Sigonius in fragmentorum Ciceronis secunda editione pag. 66 v. intellexit petivisse Philum ab amicis, ut tamquam in ius vocati Carneadi responderent calumnianti. quod factum esse testantur Augustini verba supra exscripta. qui quod praecessisse ait iustitiae laudes a Scipione celebratas, id quoque opinioni nostrae favet: ad eas enim laudes respicit Philus, cum Carneadem saepe ‘optimas causas’ disputando ludificari monet. itaque restituendum censemus fragmentum illud libro secundo, praesertim cum accedat testimonium Nonii, cuius codices, qui quidem non carent libri numero, habent illum ipsum. nam quod Maio ‘vix verisimile’ visum est ‘Carneadis mentionem fieri ante tertium librum’, ei dubitationi plane nihil tribuimus, ac potius in illa ipsa causae tractandae propositione, qua suspensae relinquantur in exitu libri mentes legentium, videmur nobis agnoscere artem Tullii, qua in componendis his libris usus est non exigua. favet nostrae sententiae etiam Lactantius; qui cum div. instit. V 14, 5 scribat haec *eam disputationem, qua iustitia evertitur, apud Ciceronem Lucius Furius recordatur, credo, quoniam de re publica disserebat, ut defensionem laudationemque eius induceret, sine qua putabat regi non posse rem publicam,* hoc docet, non ante Carneadeae orationis mentionem a Furio iniectam, sed ut post ita propter eam ipsam coeptam esse institui disputationem illam quae fuit de iustitia. congruunt denique cum hac sententia Augustini verba de

<sup>1</sup> Id recte intellexit Lactantius div. instit. V 14, 5 (cf. infra).

civ. Dei II 21 *propter illud quod iam vulgo ferebatur* (scilicet postquam a Carneade primo erat pronuntiatum), *rem publicam geri sine iniustitia non posse*. ei igitur opinioni ut responderent amicos rogavit Philus atque ut demonstrarent, non modo non posse carere iustitia rem publicam, sed etiam debere esse 'plenam iustitiae' (II 44, 70 in.).

Sed nondum videtur satisfactum illi libri rescripti defectui (II 42, 69). etenim quod Augustinus eodem illo loco Scipionem dicit 'aliquanto latius et uberius disseruisse, quantum iustitia prodesset civitati, quantumque obsesset si afuisset', ex ea orationis parte sumpta esse conicimus haec:

(Nonius pag. 299 l. *explicare*: *M. Tullius de re publ. lib. II) quae virtus praeter ceteras totam se ad alienas utilitatis porrigit*<sup>1</sup> *atque explicat*

(idem pag. 373 l. *proiectum*: *M. Tullius de re publica lib. II) iustitia foras spectat et proiecta tota est atque eminent.*

quorum fragmentorum utrum olim prius fuerit, potest dubitari; certe consuetum ordinem non defendit Lactantius epitomae 50 (55), 5. 7, quo loco collato equidem potius talem fuisse existimaverim nexum sententiarum: . . . *quae virtus praeter ceteras totam se ad alienas utilitatis porrigit atque explicat; <etenim ceterae quasi tacitae sunt et intus inclusae,> iustitia foras spectat* eqs. Sed ea res utcumque se habet, tertio de re publica libro (7, 11) haec quoque fragmenta adscripsit editor princeps, neque quisquam ex posterioribus eum dubitavit sequi. et tamen de libro II consentiunt Nonii codices, quibus quidem novissimus usus est editor; quem eo magis mirandum est procedente opera ad Maii partes transisse. is enim quod de altero fragmento (pag. 299) sententiae suae putabat ex Vaticanorum suorum silentio accedere argumentum, id nihili esse facile intellegitur. orta autem est illa opinio ex Lactantii illis verbis epitomae 50 (55), 5—8, quae Maio auctore exhibent in Ciceronis libro III cap. 7. ubi quod nominantur Plato et Aristoteles iustitiae patroni, quos eisdem ipsius Ciceronis verbis III 8, 12 in. apertum est significari, sic illi concluserunt, totum illum Lactantii locum, praeter ea scilicet (§ 6) quae ab ipso auctore interiecta esse manifestum est, ex tertio Ciceronis libro fluxisse; iam quoniam eorum de quibus egimus fragmentorum sententiae proxime accederent ad eas quae apud Lactantium

<sup>1</sup> Ordo verborum est codicum.

leguntur §§ 5 (et 7)<sup>1</sup>, constare fragmenta quoque illa ei libro esse attribuenda. atque hoc quidem potest concedi, ex Ciceronis tertio 8, 12 sumpta esse illa, quae sunt de Platone et Aristotele; at vero illud temere contendunt, ea quae secuntur non posse olim lecta esse nisi in eius loci vicinia. quod eo minus habet quo veri fiat simile, quod illa de iustitiae patronis in Epitoma demum conscribenda a Lactantio addita sunt<sup>2</sup>. Accedit quod fragmenta illa non ita sunt conformata, quasi quis Platonis Aristotelisque exponat sententias, sed docentem laudantemque produnt ex ipsius animi sententia. quas ad laudes respicere videtur iustitiae adversarius his verbis urbanam quandam irrisionem prae se ferentibus, quae ex eius orationis initio servata sunt (III 8, 12): *illorum fuit heroum eam virtutem, quae est una, si modost, maxime munifica et liberalis, et quae omnis magis quam seipse diligit, aliis nata potius quam sibi, excitare iacentem et in illo divino solio non longe a sapientia conlocare*. Quae cum ita sint, recte nobis videmur illa fragmenta referre ad Scipionis orationem quae fuit paene in extremo libro II; infra autem ea olim non ita magno intervallo — hiatus enim is qui est inter II 42, 69 et II 44, 70 capit paginas codicis V paulo plus — lecta esse censemus Phili illa, de quibus prima huius disputatiunculae parte egimus. ceterum si probabilitatis rationem ducas, utrum magis mirum est, Maiumne in fragmentis illis, quae inter se omnia cohaerere pateret, errasse, an compendii Noniani tres illos locos non parvis inter se distantes intervallis sive auctoris culpa sive librarium eodem affectos esse vitio; praesertim cum ex XIX locis, qui et libro rescripto et a Nonio servati sunt, unus (p. 359 l. offendere, cf. Cic. I 38, 59) falsa apud hunc libri nota sit signatus, ex reliquis, qui desunt in palimpsesto, nullum adhuc viri docti eo vitio laborare demonstrarint.

Sed ne me alienis videar adornare velle coloribus, οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, sed ante me eadem statuit idem ille, quem iam supra

<sup>1</sup> *Plurimi quidem philosophorum, sed maxime Plato et Aristoteles de iustitia multa dixerunt adserentes et extollentes eam summa laude virtutem, quod suum cuique tribuat, quod aequitatem in omnibus servet; et cum ceterae virtutes quasi tacitae sint et intus inclusae, solam esse iustitiam, quae nec sibi tantum conciliata sit nec occulta, sed foras tota promineat et ad bene faciendum prona sit, ut quam plurimis prosit.*

<sup>2</sup> De ratione, quae intercedit inter Institutiones et Epitomam, disputantem vide S. Brandtium Actorum acad. Vindob. cl. phil.-hist. vol. CXXV fasc. VI p. 8.

laudavi, Sigonius pag. 65 v., qui tamen cum non necesse esse duxerit sententiam suam rationibus conquisitis fulcire, non inutiliter nos ei rei operam dedisse putamus; veritatem enim dum te persuasum habeas defendere, quid refert tuane sit gloriola an alterius. Itaque pergamus commendare quae neglecta iacent simulque quam liber de re publica tertius nostra fraude fecit iacturam, eam aliqua ex parte conemur levare. Cuius libri prooemium longissimum — perscriptum enim olim fuit codicis Vaticani paginis non multo minus XL —, ut conveniebat, secuta est ea particula, qua altero die ad persequendum sermonem inchoatum convenire ficti sunt quicumque pridie adfuerant. cuius particulae haud ita magna pars videtur esse amissa; neque enim Maio fidem habeo, qui, ne in Laelio 7, 25 huius dialogi haud satis accurate videretur Cicero mentionem facere, Fannium nescio quam ob causam ablegatum esse contendit in libri tertii exordio colloquii. quae opinio, ut mittamus alia eaque minus firma, hoc argumento certissimo redarguitur, quod illic Scaevola non ita agit quasi ab hac disputatione afuerit Fannius, adfuerit reliquorum dierum sermonibus, sed tamquam non adfuerit omnino: *tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, cum est de re p. disputatum, adfuisses*; neque aliter Laelius ipse 4, 14 *qui quidem* inquit Scipionem significans *perpaucis ante mortem diebus, cum et Philus et Manilius adesset et alii plures, tuque etiam, Scaevola, mecum venisses, triduum disseruit de re p.*: ubi si nolumus Ciceronem putare lapsum esse memoria, ea ratio relinquatur, ut eum consulto dissimulavisse suspicemur introductum a se in Republica Fannium ea motum controversia, quae ei cum Attico orta esset de duobus Fanniis (ad Att. XII 5, 3 vel 7, 1). Sed ex exordio quae supersunt, cuius ea plena sunt festivitatis urbanitati iunctae, eius mire fugit omnes fere editores unum recuperari posse documentum a Seneca. qui in epistula CVIII 32 seq., ut quid spectet grammaticus in legendis scriptoribus exponat, postquam alia attulit ex Republica sumpta, sic pergit: *deinde transit ad ea, quae consuetudo saeculi mutavit, tamquam ait Cicero: quoniam sumus ab ipsa calce eius interpellatione revocati: hanc, quam nunc in circo cretam vocamus, calcem antiqui dicebant.* iam cum codicis pagina XXI sic incipiat (III 5, 8) *cati. et Philus: praeclaram vero causam ad me defertis, quom me improbitatis patrocinium suscipere voltis*, quid manifestius est quam proximae paginae exitum extare apud Senecam, aut quod aptius excogitari potest supplementum? festive igitur sive Scipio sive Laelius Furio

iustitiam impugnandam tamquam interpellationis illius poenam iniungit; recte autem a calce disputationis se dicunt esse revocatos, quoniam ipse Scipio dixit II 44, 70 *renuntio vobis nihil esse quod adhuc de r. p. dictum putemus aut quo possimus longius progredi, nisi erit confirmatum, non modo falsum illud esse sine iniuria non posse, sed hoc verissimum esse sine summa iustitia rem publicam geri nullo modo posse*. Hoc igitur cum dudum intellexissem, evoluta nuper Maii editione tertia praereptam mihi eam coniecturam didici esse a docto Francogallo Victore Clerico; et ipsius quidem fragmenti a Seneca servati sententiam multo ante recte exposuerat Franciscus Patricius in fragmentorum Ciceronis ed. II pag. 14 r. sed Clerici verissimum inventum novicios editores fugit omnes.

II In EORUNDEM LIBRORUM principio haec leguntur, quae non exiguas viris doctis turbas dederunt:

*omitto innumerabilis viros, quorum singuli saluti huic civitati fuerunt, et qui sunt procul ab aetatis huius memoria, commemorare eos desino, ne quis se aut suorum aliquem praetermissum queratur.*

ea enim habet codex rescriptus. quae ut explicemus, proficiscimur ab ea quaestione ut illa *qui sunt procul ab aetatis huius memoria* quaeramus utrum antecedentibus verbis iuncta sint an spectent ad sequentia. ac plerique quidem docti illud statuerunt quod prius posui. quorum pars<sup>1</sup> G. N. du Rieu testimonio abusi sunt, qui ad *qui sunt* adnotaverat *prima manus in eo erat ut scriberet QUIA, sed ex A statim fecit S*, quae correctio hoc potius debebat docere, *quia* illud quod librarius per errorem primo scripsisset, verum non esse. nam *et* post omittendi verbum sine probabili causa posita illa *commemorare eos desino* aegre feruntur *et*, si *procul* illud retinemus, non complectitur illa causa omnes, quos Tullius se ait omissurum; sin inserimus *haud* ante *procul*, eorum desideratur mentio, quos suae aetatis esse significat pronomine *se*. nam *et iis* idem valere atque *etiam iis* vix credemus post ea, quae de earum particularum similitudine exposuit H. S. Antonius<sup>2</sup>. qua de causa praestaret Ritschelii coniectura, qui mus. Rhen. vol.

<sup>1</sup> Halmius Sauppium (ind. schol. hib. Gotting. 1867, h. e. opusc. sel. p. 549) Muellerus Franckenus (Mnemosynae nov. ser. t. XII p. 393 s.).

<sup>2</sup> *Studien zur lateinischen Grammatik und Stilistik, 2. Aufl., Erfurt 1869, p. 26 ss.*

I p. 149 s. (opusc. t. III p. 813) *etiam qui sunt procul ab aetatis huius memoria* verum esse suspicatus est, nisi potius bipertitam olim fuisse orationem persuadere videretur et illorum comparatio *ne quis se aut suorum aliquem praetermissum queratur* et Ciceronis in talibus consuetudo, qui, ut pauca afferam, *et patrum memoria et nostra* scripsit Phil. III 6, 16, *non queo vetera illa populi R. gaudia quanta fuerint iudicare, multas tamen iam summorum imperatorum clarissimas victorias aetas nostra vidit* pro Mil. 28, 77, *Cinnam meminī, vidi Sullam, modo Caesarem* Phil. V 6, 17 et simillime pro Scauro 3, 1 (Ascon. p. 21, 2) *\*audimus, hoc vero meminimus ac paene vidimus* eademque partitione usus pro Sest. 47, 101 *ut vetera exempla . . . relinquam neve eorum aliquem qui vivunt nominem, qualis nuper Q. Catulus fuit.* itaque talia fere olim scripta fuisse putaverim *omitto innumerabilis viros, quorum singuli saluti huic civitati fuerunt, et (quos ipsi vidimus et) qui sunt procul ab aetatis huius memoria*<sup>1</sup>; *commemorare eos desino, ne quis se aut suorum aliquem praetermissum queratur.* nam *procul*, quod ipsum per se non longinqui est sed remoti, iam cum ex adverso stet illis quos ipsi vidimus, nihil videtur habere offensionis.

Unum restat, ut quo modo ferri possint illa *commemorare eos desino* explicemus refellentes Wachsmuthii opinionem, qui stud. Lips. t. XI p. 201 s. delenda esse ea censuit utpote nata ex glossemate olim ad *omitto* adscripto. quae ratio quam apta sit ad persuadendum dubito: de re ipsa neminem dubitaturum esse puto, qui haec legerit pro Plancio 30, 74 *nolo cetera, quae a me mandata sunt litteris, recitare; praetermitto, ne aut proferre videar ad tempus aut eo genere uti litterarum, quod meis studiis aptius quam consuetudini iudiciorum esse videatur* vel haec, quae quodam nomine diversa sunt de fin. III 12, 41 *mihī autem nihil tam perspicuum videtur, quam has sententias eorum philosophorum re inter se magis quam verbis dissidere; maiorem multo inter Stoicos et Peripateticos rerum esse aio discrepantiam quam verborum, quippe cum* — mitto reliqua. sed de explicanda quidem ea quae nobis videtur esse abundantia potest dubitari; cuius causam in Finium loco fortasse recte Madvigius ex adseverandi studio repetit; in illo altero et in Republica quaesitum esse puto oratio-

<sup>1</sup> Hoc loco iam Franciscum Oriolium secutus sermonem distinxit Osannus. de defectu iam Handius cogitavit in Tursellino vol. IV p. 593; nam Muellerus in adnotatione critica haesitat.

nis quasi quoddam aequilibrium, ut repetito verbo sustentarentur quodam modo sententiæ quæ deinde adnectuntur pendentes; illud in Republica accedit, quod etiam quæ secuntur *unum hoc definitio* per oppositionem coniuncta sunt cum illa superiore periodo. quæ si tenemus omnia, ne in ea quidem re offendemus, quæ Wachsmuthio causa fuit dubitandi. qui quod sic quaerit *wie kann man aufhören etwas zu thun was man noch gar nicht angefangen hat*<sup>1</sup>, eam difficultatem eo redire manifestum est, ut *cos* dici putandum sit non quos proxime significavit, sed omnes viros de re publica bene meritos. atque id ut potest ferri in sententia plana atque perspicua, ita ferendum esse censeo nec ratione iusto severiore evertenda ea, quæ aliunde habere viderimus quibus fulciantur.

III Propter corruptelae similitudinem superioribus adiungo hæc de TIMAEO Ciceronis<sup>2</sup> 5, 14 (pag. 999, 14 ed Turic. II), quibuscum comparanda sunt Platonis verba pag. 32 A:

εἰ μὲν οὖν ἐπίπεδον μὲν βᾶθος δὲ μηδὲν ἔχον ἔδει γίνεσθαι τὸ τοῦ παντὸς σώμα, μία μεσότης ἂν  
*quod si universi corpus planum et aequabile explicaretur*  
*neque in eo quicquam esset requisitum, unum enim inter-*  
*ἔξήρκει τὰ τε μεθ' ἑαυτῆς ζυνοεῖν καὶ ἑαυτήν.*  
*iectum medium et sepse*<sup>3</sup> *et ea, quibus esset interpositum,*  
*conligaret.*

<sup>1</sup> Similis est ea ratio, qua in his de off. III 2, 10 *ut nemo pictor esset inventus, qui in Coa Venere eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret . . .*, sic ea, quæ Panaetius praetermisisset et non perfecisset, propter eorum, quæ perfecisset, praestantiam neminem persecutum Muretum secuti delent illa et non perfecisset. quam rationem falsam esse cum comparatio illa arguit; tum ipsius Ciceronis verba, qui paulo supra scribit *dubitari non potest quin a Panaetio susceptum sit (tertium genus) sed relictum; nam qui e divisione tripartita duas partes absolverit, huic necesse est restare tertiam; scilicet cum suscepit, inchoavit.*

<sup>2</sup> De eo libello quæ hoc loco et infra disputabo, ea maximam partem sumam ex ea commentatione, quam a me de Timaeo recensendo et emendando scriptam anno h. s. XCVI academia regia Berolinensis praemio ornavit ex donatione Carlottina. de codicibus Vossianis et Vindobonensi quod non numquam accuratius possum referre quam superiores, id debeo eorum, qui illis bibliothecis et qui regiae Berolinensi praefecti vel sunt vel fuerunt, officiosae liberalitati.

<sup>3</sup> *sepse* scripsi: *se ipse* codices, *se ipsum* vulgatur.

Orationis Platonicae comparatione decepti omnes editores non dubitaverunt, quin *enim* illud insititium esset; quod etiam in deterioribus quibusdam libris sublatum est. inde progressi dubitare etiam coeperunt de illo *requisitum*; atque Klotzius quidem pro eo exhibuit *repositum*, Orellius coniecit *alti situm* vel *profundi situm*, C. F. Hermannus de interpretatione Timaei a Cicerone relicta pag. 36 *retro situm* vel *reconditum*; quae omnia carent omni probabilitate. H. Stephanus autem, qui *requisitum* sanum esse putabat, sed ante *esset* intercidisse *profunditatis* aut *altitudinis*, nec qui id videretur factum esse nec quo modo uno enuntiatio contineri possent tempora diversa explicavit. nobis illud *enim* videtur indicio esse, Ciceronem tenore orationis paulum immutato voluisse primariam sententiam bipertitam esse, ita ut prius membrum in *requisitum* exiret, ut supra quoque 4, 13 p. 999, 3 deflexa aliquatenus a Platonica forma oratione sic scripsit *omnia autem duo ad cohaerendum tertium aliquid anquirunt et quasi nodum vinculumque desiderant*, cum ille haec praerberet p. 31 B δύο δὲ μόνω καλῶς συνίτασθαι τρίτου χωρὶς οὐ δυνατόν· δευμὸν γὰρ ἐν μέσῳ δεῖ τινὰ ἀμφοῖν συναγωγὸν γίνεσθαι. itaque sic fere Ciceronem conicimus scripsisse: *quod si universi corpus planum et aequabile explicaretur neque in eo quicquam esset* *(altitudinis<sup>1</sup>, nihil amplius esset)* *requisitum*; *unum enim interiectum medium* eqs. temporum enim eam rationem esse putamus, ut illud *esset requisitum* referatur ad id tempus quo deus mundum aedificavisse fingitur, imperfecta autem ponantur universe non definito tempore.

IV Platonis verba quae sunt in eodem TIMAEO, ubi de iunctis inter se a mundi aedificatore igni et terra disputat, pag. 31 C τοῦτο δὲ πέφυκεν ἀναλογία κάλλιστα ἀποτελεῖν, Cicero sic reddidit latine cap. 4, 13 (pag. 999, 6 ed. Turic. II): *id optime adsequitur quae graece ἀναλογία, latine — audendum est enim, quoniam haec primum a nobis novantur — comparatio proportione dici potest*. haec enim codices primitus habuerunt omnes; in Vossianis autem postea corrigendo effectum est *comparatio proportiove*; quod fortasse ferri potest, ut tulerunt adhuc editores omnes. sed scrupulum inicit simillima eorundum vocabulorum iunctura, qua cap. 7, 24 (p. 1002, 9) antiquitus traditum est *eandem proportione(m) comparationem*, quod ut in nostris co-

<sup>1</sup> possis etiam *crassitudinis*, confer Lucullum 36, 116.

dicibus varie temptatum est (*eandem proportionum comparationem* corr. Vindob., *eadem proportione comparatum* corr. Vossian.), ita in deterioribus sic exhibetur addita particula *eandem proportionem comparationemque*, et id placuit editoribus omnibus, nisi quod Baiterus in exemplo Lipsiensi haec edidit *eandem proportionem [comparationemque]*, mirabili forma, qua particula *que* expulso eo vocabulo, cuius causa inventa est, tamen exhibetur, mirabiliore autem instituto (quamquam Muellerus dicit fortasse rectum esse), quoniam, si quid delendum erat, illud alterum potius deleri oportebat, quod cum cap. 5, 15 (p. 999, 24) in quodam deteriorum librorum per interpolationem scriptum sit pro *comparatione*, hoc vocabulum inferiore aetate minus illo hominibus intellegitur fuisse familiare. itaque Boethius et Cassiodorius et ante eos Vitruvius in rebus mathematicis frequenter proportionis vocabulo usi sunt; et derivata inde vocabula, velut *proportionatus proportionabiliter*, apud Frontonem et Firmicum inveniri docent lexica. etiam Quintilianus bis eo vocabulo usus est; primo enim Institutionis libro 6, 3 de analogia dum instituit agere, ei nomini haec subiungit *quam proxime ex graeco transferentes in latinum proportionem vocaverunt*, eodemque vocabulo utitur paulo infra, 6, 9. neque tamen abutendum est illis, quae adscripsi, ita ut brevi ante illa tempora eam formam usurpari coeptam esse putemus Quintiliani effici testimonio — sic enim sentiebat Reisigijs Scholarum vol. I pag. 16 adn. 3, unde Haasius Timaeum Ciceronis non esse coniciebat —; sed Quintilianus nihil dicit nisi hoc, qui illud vocabulum primus finxerit, eum presse imitatum esse graecae vocis compositionem; quem ad modum eodem usus est adverbio instit. VI 2, 20 *diversum est huic* (scil. τῷ ἤθει), *quod πάθος dicitur . . . , et ut proxime utriusque differentiam signem, illud comoediae, hoc tragoediae simile*, et Minucius Felix Oct. 19, 2 *quid, Mantuanus Maro nonne apertius proximius verius 'principio' ait* eqs. sed tamen Quintilianus proportionis vocabulum non solum commemorat ut sibi aliisque nondum satis familiare — itaque ne ipse quidem eo utitur nisi bis, cum analogiam multis locis usurpet —, sed etiam cum quadam reprehensione vel potius excusatione eius formam refert ad exemplum graecum. atque ante eum nescio qui eo vocabulo usus sit nisi forte Vitruvius. Varro enim saepenumero analogiam posuit, proportionis vocabulo, si verum video, abstinuit. quamquam Spengelius in X de lingua latina haec edidit 1, 2 *dicam de quattuor rebus, quae continent declinationes verborum: quid sit simile ac dissimile, quid ratio quam appellant λόγος, quid*

*proportione quod dicunt ἀνάλογον, quid consuetudo et sic habent codices, vulgatur autem proportio. sed ille ablativus, qui nihil habet unde pendeat, quo modo possit in sermone latino subiecti vice fungi non video; nam Graecorum exemplo, qui ἀνάλογον non numquam nulla declinatione vel potius ἀνὰ λόγον pro substantivo posuerunt (confer Bonitzium in indice Aristotelio, Spengelium Commentationum academiae Monacensis philologarum vol. III part. I 1840 pag. 267), nihil efficitur. verum elucebit si haec comparaveris de eodem libro 3, 37 sequitur tertius locus, quae sit ratio proportione; <e>a graece vocatur ἀνὰ λόγον; quamquam Wilmaunsius de Varronis libris grammaticis p. 80 scribendum esse coniecit quae sit ratio proportionis. sed nullus dubito quin utroque loco ponendum sit pro portione, idque altero per se stare putandum et paene substantivi vice fungi, altero ut adiectivum adiunctum esse ad rationem, plane eodem modo, quo, ut illuc redeamus, Cicero in Timaeo locis quos dixi scripsit (confidenter enim iam licet loqui) comparatio pro portione et pro portione comparationem, ut breviter dicatur sed commode id genus comparisonis, quo aliquae res pro portione inter se comparantur. neque quidquam ea scriptura difficultatis habet in his, quae secuntur illa a quibus exorsi sumus, cap. 5, 14 (p. 999, 8): quando enim trium vel numerorum vel figurarum vel quorumcumque generum contingit ut quod medium sit, ut ei primum pro portione, ita id postremo comparetur. paulo infra cap. 5, 15 (p. 999, 17) haec leguntur: sed cum soliditas mundo quaereretur, solida autem omnia uno medio numquam, duobus semper copulentur, ita contigit ut inter ignem atque terram aquam deus animamque poneret eaque inter se compararet et pro portione coniungeret, ut quem ad modum ignis animae, sic anima aquae, quodque anima aquae, id aqua terrae pro portione redderet. quae etsi quodam modo impedita esse non potest negari, tamen quod Orellius coniecit quemadmodumque anima aquae, sic aqua terrae proportione responderet, id omni probabilitate carere apparet; sed si quis codicum vitio turbatam esse putat aequabilitatem orationis, ei compararetur addendum est in ea parte sententiae, quae incipit ab ut. mihi illud incommodum, quod ne magnum quidem est post comparandi verbum paulo ante positum, Ciceronis potius negligentia ortum esse videtur et fortasse imperfecta quadam Platonicae artis imitatione, qui haec omnia non proprio enuntiato comprehendit, sed soluta orationis vinculis sic reliquis interposuit pag. 32 B ὅτι περ πῦρ πρὸς ἀέρα, τοῦτο ἀέρα πρὸς ὕδωρ, καὶ ὅτι ἀήρ πρὸς ὕδωρ,*

ἄνωρ πρὸς γῆν<sup>1</sup>. paulo autem supra si quis vulgatam lectionem *eaque inter se compararet et proportione coniungeret* defendi putet his, quae leguntur cap. 5, 15 extr. (p. 999, 24), *ea constrictum comparatione qua dixi*, mihi his ipsis, si contuleris Platonis verba δι' ἀναλογίας ὁμολογήσαν pag. 32 C, probari videtur quod posui, Ciceronem proportionem dicere noluisse. denique cap. 8, 27 (p. 1003, 12) quin scribendum sit *pro portione concompactus*, etsi paulo plenius atque accuratius Plato scripsit pag. 37 A ἀνὰ λόγον μερικθεῖσα καὶ ξυνδεθεῖσα, nemo dubitabit. itaque et in Verrinae accusationis libro IV 21, 46 *pro portione* recte nunc scribitur et Varroni ea formula dicendi a Keilio restituta est Rerum rusticarum I 18, 3 *ut pro portione ad maiorem fundum et minorem adderemus et demeremus* eademque legitur ibidem 41, 4 *ea quae laxiora, et fecundiora, ut femina quam mas, et pro portione in virgultis item*<sup>2</sup>. ubi non de numerorum, sed de universa aliqua comparatione illud positum est, quem ad modum olim nostri barbare dicebant *respective*, et Plinius scribit nat. hist. XIV 21, 133 *ad portionem situs*, XXIV 8, 46 *ad virium portionem*, talia. portionis enim vocabulum non partis simpliciter vim habet, sed eius quae cuique conveniat, itaque recte in glossis latinograecis, Corporis vol. II p. 154, 8, scriptum est *portio τὸ ἐπιβάλλον μέρος*. hinc et is usus repetendus est, quo dicebatur *pro portione*, et ille, quo in ipso portionis vocabulo ea vis mansit, qua convenientiae notio continebatur. quo usu dicendi *supra portionem* scripsit Columella de re rustica VII 1, *portionem aestimare* idem XI 2, 29, ibidem 87 *portionem servare*; nam inferiore aetate maluissent opinor scribere *proportionem servare* eodemque vocabulo essent usi in hac sententia *cerebrum omnia habent animalia quae sanguinem . . . , sed homo portione maximum* (Plin. nat. hist. XI 37, 133 conf. ibid. 183). quare nescio an credi possit Antistium Labeonem etiam in rebus grammaticis portionem vocasse eam quam Graeci ἀναλογίαν, ut integra haec sint quae leguntur apud Festum quat. XII 21, 9 *penatis singulariter Labeo Antistius posse dici putat, quia pluraliter penates dicantur, cum patiatur portio etiam penas dici, ut*

<sup>1</sup> Hoc quoque quaeri potest, intercideritne *ita* ante *inter se*.

<sup>2</sup> Confer Catonem de agri cult. 57. 106, 2. 157, 7. In lege Iulia munic. CIL I 206, 38 sic distinguendum puto: *quamta pecunia eam viam locaverit, tamtae pecuniae eum eosque, quorum ante aedificium ea via erit, proportioni* (h. e. pro portione, quod explanatur eis quae secuntur), *quantum quousque ante aedificium viae inlongitudine et inlatitudine erit, q. urb. . . in tabulas . . . referendum curato*.

*optimas primas Antias*; ubi Muellerus *proportio* edidit, Thewrewkiius crucem posuit.

Pauca adiungam de universo genere, quod complectitur etiam illa, quae duplici forma in usu fuerunt, *pro consule* et *pro consul*, *pro praetore* et *propraetor*, alia. tres enim quasi gradus sunt, quibus usus in illis progressus est. nam cum recte posset scribi *pro portione addere et demere* nec praeter communes sermonis leges diceretur aliquis esse 'pro consule', paulatim talia adepta sunt appositionis vel attributi naturam; quod genus quidam non inscite hyphen dixerunt, patet autem latissime cum apud alios tum apud Ciceronem nec est ab interpretibus neglectum: velut 'vim sine ratione' opponit 'participi rationis' de nat. deor. II 32, 81, 'praeter naturam portenta' habes ibidem 5, 14; et talia maxime in rebus publicis nata sunt et in artibus, ut *auspicia ex acuminibus*, in *procinctu testamenta* de nat. deor. II 3, 9; nam Sallustius suo fortasse invento usus scripsit *neu quis miles neve pro milite* hist. frg. inc. 8 Maur. sed eadem ratione illud videtur esse explicandum, quod augures dicebant se 'servare de caelo'; nam servare de aliqua re alibi dictum esse non invenio (et dixerunt poetae *caelum, fulgura, avem servare*), sed cum dicerent fulmina iaci 'de caelo', res tangi 'de caelo', eo progressus est usus sermonis, ut Ciceroni scribere licuerit *haec certe quibus utimur, sive tripudio sive de caelo, simulacra sunt auspicioorum, auspicia nullo modo de divin.* II 33, 71; itaque *de caelo servare* esse puto tamquam τὰ ἔξ οὐρανοῦ σκοπεῖν, transitu paene in substantivi vim facto; atque idem statuendum esse de his *propter aeris crassitudinem de caelo apud eos* (Etruscos) *multa fiebant* de div. I 42, 93 eo probabilius est quod deinde de alio genere ominum loquitur aliter: *ob eandem causam multa invisitata partim e caelo, alia ex terra oriebantur.* idem ille transitus quo modo fiat bene potest observari de div. II 36, 77: *nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, iam M. Marcellus . . . totum omisit.* atque is est secundus eorum quos dixi graduum, ut substantivum cum praepositione quasi novum substantivum ponatur; quod si frequenter fit in iisdem, praesertim casibus obliquis, non raro accidit ut concreta illa atque coalita etiam flexionem accipiant, quam rem hypostasim nominavit Usenerus in Novis annalibus, t. CXVII (1878) pag. 72 s. et aptis exemplis ad demonstrandum declaravit; cuius modi apud geometras ortum esse probabile est illud proportionis vocabulum, ut quicquid iudicabitur de Vitruvii

aetate, de qua nuper litem motam esse video, eum saepissime illo usum esse non possit mirum videri.

Sed tamen nonnumquam viri docti praeter probabilitatem talia statuunt. velut hoc fertur de nat. deor. III 30, 74 *inde tot iudicia de fide mala: tutelae, mandati, pro socio, fiduciae, reliqua quae ex empto aut vendito aut conducto aut locato contra fidem fiunt*<sup>1</sup>), hoc nemo adhuc, nisi fallor, recte edidit, quod ad Herennium scribitur libro I 6, 10 ad insinuationem unde ordiri possimus: *si defessi erint audiendo, ab aliqua re, quae risum movere possit, ab apologo, fabula veri simili . . .* (multa omitto), *litterarum mutatione, praeter expectationem, similitudine, novitate. historia, versu . . .* ubi quod libri habent *praeterea expectatione*, perspicuum est primum ablativum casum ortum esse propter vicinas formas, dein cum *praeter* illud quid sibi vellet obscurum esset, inde effectum esse *praeterea*. certe illud tam recte praefertur praeterexpectationis vocabulo quod Marcius poni iussit sexto casu in prolegomenis p. 27, quam supra *pro portione* praetulimus pro-  
portioni.

Unum addam. *post principia* quid dixerint veteres et unde ea locutio orta sit exponit I. F. Gronovius lectionum Plautinarum p. 303 s. observationum libro novo p. 154 ss. ut translatum ita in unum coalitum postprincipiorum vocabulum videtur quidem Afranius posuisse (nam de proximis verbis non constat) apud Ciceronem pro Sestio 55, 118 *postprincipia atque exitus vitiosae vitae*, similiter Varro copulavit *principia ac postprincipia* in Sisenna apud Gellium n. Att. XVI 9, 5, declinatum posuit ibidem 18, 6 *in postprincipiis* (oppositum est, ne possit dubitari, *in principiis*); verum eandem formam rer. rust. III 4, 1 non puto recte a doctis effici, de quorum coniecturis adeas Keilii commentarium, ac ne transponendi quidem artificium adhibendum cum Nettleshipio, sed haec a Varrone scripta esse quae sunt in libris: *quare unde velis me incipere, Axi, dic. ille 'ego vero' inquit 'ut aiunt post principia in castris, id est ab his temporibus quam superioribus'*. vult enim 'post principia' Varronem incipere castrensi quadam locutione usus — quam facete nihil refert, mihi quidem videtur satis frigide; sed de collocatione verborum non videtur posse dubitari post ea quae de affini quodam genere

---

<sup>1</sup> Confer pro Roscio com. 6, 16 *si qua enim sunt privata iudicia summae existimationis et paene dicam capitis, tria haec sunt: fiduciae, tutelae, societatis.*

disputaverunt M. Petschenigius Arch. lexicogr. vol. V p. 576, I. Vahlenus Hermae vol. XXX p. 26 ss.<sup>1</sup>. Idem illud *post principia* restituendum est, si quid video, Plauto in Persa:

*atque edepol firme ut quisque rem accurat suam,  
sic ei procedit post principia; denique* 452  
*si malus aut nequamst, male res vortunt quas agit,  
sin autem frugist, eveniunt frugaliter.*

*post principia* habent codices, idemque testatur Donatus qui fertur ad Ter. Hec. 3, 3, 33. verum id ferri non potest, ne ita quidem ut cum Frid. Leone scribamus *postprincipio*; singularem enim numerum in hac sive formula sive voce nusquam vidi positum, nec opinor poni potuit propter vocis originem, siquidem et in acie et in castris dicebantur principia, non principium. nec denique cum Scaligero scribendum est *procedunt postprincipia*. sed corruptelam inde natam esse censeo, quod et locutio illa in oblivionem venerat et *denique* illud, quod cum sequentibus recte iunctum video apud Leonem, male cum iis verbis quae antecedunt copulabatur ita, ut putaret aliquis — mitto quo sensu, sed idem sensit Acidalius — temporaliter illa accipienda esse *post, principio, denique*.

V Dum Ciceronis quosdam libros editurus et codicum lectiones et superiorum commenta perpendo, saepe in mentem venit veteris poetae vox, quae monet diffidere esse prudentiae summam. cui magna pars doctorum non obtemperant nisi in codicum testimoniis confutandis, eosque aut hebetes aut superstitiosos esse clamant, qui nonnumquam criticorum inventa quamvis speciosa prae obscurioribus librorum auctoritatibus spernunt. et tamen si veteres habeas et bonae indolis codices, ab iis, si exceperis usitata et plana corruptelarum genera, non discedendum est nisi iterata ac saepius repetita dubitatione. in illis libris quos dixi mirum est quam saepe recentiores editores diffidere vulgatae lectioni neglexerint etiam post recuperatos summae auctoritatis testes codices Vossianos et Vindobonensem. quod quidem illis non vitio verto, quos etiam suspicio: sed communem hominum in eo genere imbecillitatem exemplis aliquot illustrare non videtur esse inutile.

---

<sup>1</sup> Adde Th. Stangelium *Blätter für das Bayer. Gymnasialschulwesen* t. XVIII 272, Tullianorum (progr. gymn. Luitpold. Monac. 1897/98) p. 16. confer etiam ad Herenn. IV 52, 65, quem locum explicavit Skutschius Hermae vol. XXXII p. 97 s.

Memorable exemplum est in PARADOXO quinto; ubi Cicero, postquam eorum stultitiam, qui signis et tabulis nimium delectentur reliquisque rebus festivis et venustis, acerbis verbis perstrinxit, transitu facto ad honoris imperii provinciarum cupiditatem hoc utitur documento 3, 40:

*Cethego, homini non probatissimo, servire coegit eos, qui sibi esse amplissimi videbantur, munera mittere, noctu venire domum ad eum, precari, denique supplicare. quae servitus est, si haec libertas existimari potest?*

sic ea verba, quorum litteras diduxi, et in deterioribus codicibus plerisque scripta sunt et feruntur in exemplis impressis, praeterquam quod Halmius, credo quo pressius codicum vestigiis, de quibus paulo infra dicam, insisteret, edidit *precibus denique supplicare*. quem contra Muellerus vulgatam lectionem restituit, quod Halmii coniecturam in illa infinitivorum serie probabilem esse negaret, archetypum autem apparere obscurum hoc loco fuisse lectu. atque illud quidem quid valeat ambiguum est, et utilius certe Maxim: Schneiderus in commentario suo haec contulit ex Laelio 16, 57 *quam multa enim . . . facimus causa amicorum, precari ab indigno, supplicare*. sed omnes hoc fefellit, ipsum archetypum non obscure exhibuisse verum idque in uno nostrorum codicum remanere intactum. haec enim adnotavit Halmius: ‘*praecie V, prece B (sed e posterior in ras.), praec\*\* A, litteris post c prorsus evanidis*’; mihi in codice B sub littera e latere visae sunt *ie*, ut primitus fuerit *precie*, in A *ḗciae* scriptum fuisse iam ante me Herm. Deiterus vidit (cuius conferas libellum scholasticum Auricae a. 1885 editum), unde postea erasis litteris *ae* et *i* mutata in *e* effectum *ḗce* h. e. idem quod in B; ne Vindobonensis quidem liber vacat correctione (*praecipue*), sed ea ita in margine significata est ut primitiva scriptura non tangeretur. videlicet isti correctores nesciebant quid sibi vellet *praecie* illud sive *precie* sive *ḗciae*; quod non mirum: illud valde mirabile est, tot editores re probe cognita nomen non agnovisse. haec enim Plutarchus narrat in Lucullo cap. 6, quem et alii laudant et Schneiderus, fuisse Romae belli Mithridatici temporibus mulierem quandam infamem nomine Πραικίαν; quam cum amaret Cethegus ille, Lucullus, cum cuperet Ciliciam provinciam obtinere, eam ὑπελθὼν, inquit Plutarchus, δώροισι καὶ κολακείαις . . . εὐθὺς εἶχε τὸν Κέθηγον ἐπαινέτην καὶ προμνύμενον αὐτῷ Κιλικίαν<sup>1</sup>. apud Ciceronem igitur posthac scribetur: *Ce-*

<sup>1</sup> Confer Maurenbrecherum ad Sallustii hist. III frg. 18.

*thego . . . servire coegit eos, qui sibi esse amplissimi videbantur, munera mittere, noctu venire domum ad eum, Praeciae<sup>1</sup> denique supplicare.*

VI Similiter in quarto PARADOXO cum propter ignoratam optimorum codicum lectionem tum deteriorum corruptelis seducti frustra se editores torserunt. ubi 2, 31 s. Cicero in P. Clodium — is enim aperte significatur — his invehitur, si Halmii exemplar sequimur, verbis:

*Omnes scelerati atque impii, quorum tu te ducem esse profiteris, quos leges exilio adfici volunt, exules sunt, etiam si solum non mutarunt. an cum omnes te leges exulem 4 esse iubeant, non eris tu exul? exul non appelletur is, qui cum telo fuerit? ante senatum tua sica deprehensa est. qui hominem occiderit? plurimos occidisti. qui incendium fecerit? aedis Nympharum manu tua deflagravit. qui templa occupaverit? in foro castra posuisti.*

conformatio sententiae, quae est versu 4, debetur Orellio, nec attinet reliquorum conamina recensere, quae verbis ab illo non re differunt; hoc utilius est considerare, ut sibi passus sit Halmius vir acutissimus recuperatis praesertim optimis testibus imponi a lectione vulgata. haec enim adnotavit de bonis codicibus: *'iubeant appellet (appelletur V<sup>2</sup>) inimicus qui cum telo fuerit C mance et corrupte'*. quae manca quidem sunt eo nomine, quod *non* ante *appellet* deest non in codicibus, sed in Halmii testimonio, sed tamen id ille opinor satis habuisset supplere, nisi deceptus ea interpretatione, quam antiquitus traditam a magistris suis accepisset quamque sine dubio veram esse sibi persuasisset, cum *appelletur* illud, quod in uno codice correctione effectum est, duxisset recipiendum, tum illud *inimicus* prae pronomine *is*, quod nescio unde natum vulgo obtinuerat, sprevisset, sic videlicet ratiocinatus, inepte illud huic substitutum esse a quodam inter-

---

<sup>1</sup> Nomen num recte scripserim Plutarchum secutus nescio: in titulis gentem vocari video Preciam (CIL. V 35 VIII 5615) aut Preciam (CIL. VIII 2858 Eph. epigr. IV p. 307 n. 887 III 17). — Ceterum haec dudum perscripta erant, cum ex excerptis, quae sunt in ephemeride inscripta *Wochenschrift für klassische Philologie* a. 1897 p. 961, eandem emendationem prolatam esse cognovi a G. Sengero in Russorum annalibus qui inscribuntur *Filologičesskoje obozrěnije* vol. IX 2 p. 189 s. itaque de honore illi concedo; rem ex instituta disputationis serie tollere dubitavi.

polatore, qui nesciret Ciceronem, si id voluisset, *hostis* scripturum fuisse<sup>1</sup>. quae ratio sic potius concludenda erat: cum multo probabilius esset *is* aliquo errore ortum esse ex *inimicus* quam hoc ex illo, recte legi *inimicus*; et si hoc alienum esse videbatur ab ea sententia quam Ciceronis esse putabant, non prius tollendum erat quam perquisitum esset, quibus ex fontibus olim illa de Ciceronis mente sententia esset ducta. quod si quaesivissent, intellexissent fontem fuisse ipsam illam vulgatam atque interpolatam lectionem. sed nemo quaesivit ante Anzium<sup>2</sup>, cuius disputatio hoc de meo negotio detraxit, ut necesse non habeam persuadere iis scilicet, qui id semel admoniti non videant ipsi, illa *an cum omnes te leges exulem esse iubeant, non appellet inimicus* Tullium recte et ad rem accommodate scribere potuisse. sed tamen ea re probe cognita in ceteris nimium ille indulisit ingenio nec vidit, quod videndum erat, ne apice quidem moto sic esse scribendum: *an cum omnes te leges exulem esse iubeant, non appellet inimicus?* ‘*qui cum telo fuerit*’: *ante senatum tua sica deprehensast*; ‘*qui hominem occiderit*’: *plurimos occidisti*; ‘*qui incendium fecerit*’: *aedis Nympharum manu tua deflagavit*; ‘*qui templa occupaverit*’: *in foro castra posuisti*. singulae leges quasi loquentes finguntur; ad singulas auctoritates adiciuntur Clodii crimina. tum pergit: *sed quid ego communes leges profero, quibus omnibus es exul: familiarissimus tuus de te privilegium tulit, ut, si in opertum Bonae Deae accessisses, exulares*. numquid etiam nunc de inimici vocabulo recte posito dubitabitur?

VII Multa, quae nunc putantur esse corrupta, ad agnoscendam integritatem nihil desiderant nisi orationem apte distinctam. velut in primo PARADOXO contra voluptatum et divitiarum cupiditatem sic disputat 2, 10 s.:

*quaero enim a vobis, num ullam cogitationem habuisse videantur hi, qui hanc rem p. tam praeclare fundatam nobis reliquerunt, aut argenti ad avaritiam aut amoenitatum ad delectationem aut suppellectilis ad delicias aut epularum*  
 5 *ad voluptates. ponite ante oculos unum quemque regum. voltis a Romulo? voltis post liberam civitatem ab is ipsis, qui liberaverunt?*

<sup>1</sup> Confer O. Heinius Philologi vol. X p. 122 s.

<sup>2</sup> *Kritische Bemerkungen zu Ciceros Cato maior Paradoxa Somnium* (Festschrift . . . des Kgl. Gymnasiums zu Quedlinburg 1890) pag. 16.

sic quidem illa versu 5 olim distincta ferebantur neque quisquam in iis offendit ante Madvigium, cuius monitu, quia quae secuntur satis ea diceret ostendere non de regibus illud dici sed de omnibus qui rem publicam tam praeclare fundavissent, Halmius vocabulum *regum* delevit, eumque Baiterus secutus est. atque illud quidem verum est; sed *regum* unde ortum aut quo consilio inductum esse putemus obscurum est. itaque recentiores editores se ad H. A. Kochii mentem applicaverunt, qui in libello scholastico Portensi a. 1868 pag. 42 pro *regum* substituit *veterum*. in quo sane poterat acquiesci, nisi et litterarum ratio exiguam haberet persuasionem et alia medela suaderetur ipsa sententia. in qua equidem me fateor non intellegere quo consilio quaerat orator *vultisne a Romulo incipere* — ita enim explicant — *an ab iis qui civitatem liberaverunt* ac deinde fortes viros ac continentes tamen a Romulo incipiat laudare, non intellego inquam, quid sibi velit illud alterum membrum aut quae in eo sit sive vis oratoria sive venustas. intellegerem, si inverso ordine posuisset *vultisne a Bruto incipere an iam ab illo urbis conditore Romulo*, h. e. 'non solum post liberam civitatem tales viri fuerunt verum iam inde a condita'; cuius modi sunt in Catone maiore quae excribentur infra. sed cum gradatione aliqua noluerit scriptor uti, nihil relinquitur nisi ut partitionem quandam instituerit in altera parte *regum* temporibus positus, in altera liberae civitatis, scilicet ut utraque plena fuisse contenderet continentiae atque virtutis. iam in eius partitionis membro priori (*vultis a Romulo*) desiderari intellegitur quo *regum* tantum tempora dici significetur; quod desiderium qua tandem re facilius expleri censemus quam illo *regum*, quod in superioribus ferri non posse vidimus. quam rem perspexit fortasse iam Anzius, qui tamen cum in libello quem supra dixi, pag. 16, nescio quo pacto *unum quemque* in suspicionem vocavisset, haec effecit: *ponite ante oculos quemcumque regum vultis a Romulo, quem vultis post liberam civitatem*. nos multo putamus oratore digniora esse haec: *ponite ante oculos unum quemque — regum vultis a Romulo, vultis post liberam civitatem ab is ipsis qui liberaverunt*. volumus igitur *regum* cum quadam vi praemissum pendere ex *unum quemque*, ei ad sententiam respondere illa *post liberam civitatem*, utrique adiuncta esse illa quae duobus *ab* reguntur, *vultis* denique bis positum ita, ut nullum desiderans supplementum paene particulae *vel* vice fungatur in plurativo numero, quam in simili re posuit de divin. I

20, 40 *num te ad fabulas revoco vel nostrorum vel graecorum poetarum*<sup>1</sup>.

Sed quod dixi haec verba *post liberam civitatem* ita libere posita esse, ut ex adverso stent nomini *regum* atque paene valeant τῶν μετὰ τὴν τῆς πόλεως ἐλευθέρωσιν, eius rei exempla quaedam congescit Vahlenus in *Ephemeridis gymnasiorum austriacorum* vol. XXIV (1873) pag. 246: de nat. deor. I 24, 66 *ista enim flagitia Democriti sive etiam ante Leucippi . . . hanc tu opinionem, C. Vellei, usque ad hanc aetatem perduxisti, h. e. εἶτε καὶ τοῦ πρὸ ἐκείνου Λευκίππου*, Tusc. IV 5, 10 *veterem illam equidem Pythagorae primum, dein Platonis descriptionem sequar, qui animum in duas partes dividunt*; quibus ille exemplis stabilivit meliorum codicum in Catone maiore lectionem 17, 61 *quid de Paulo aut Africano loquar aut iam ante de Maximo*; quamquam surdis cecinit, et malunt editores cum codicis Leidensis (L) correctore (nam Indersdorfiensis auctoritas plane nulla est) Ciceronem scripsisse aut, *ut iam ante, de Maximo*: quasi Pauli et Africani laudes nondum celebravisset. addimus haec quae illis ex Paradoxo plane similia sunt in altero de divinatione 25, 54 *multa me consule a me ipso scripta recitasti, multa ante Marcicum bellum a Sisenna collecta attulisti, multa ante Lacedaemoniorum malam pugnam . . . a Callisthene commemorata dixisti*. ubi quid mirum non defuisse qui haec, quia de consulatu suo versibus Ciceronem non ante a. u. 694 scripsisse docte exponeret, intellegi posse plane negaret et suaderet haec *multa me consule <facta et> a me ipso scripta*; quamquam in Callisthene ille quid fieri vellet tacuit<sup>2</sup>.

VIII Plura sunt in PARADOXIS, quorum vis oratoria non patefiat nisi punctorum artificiiis. duo exempla, quae fusiore disputatione non videantur indigere, breviter adnotata proponam. In Paradoxo quinto haec nunc leguntur 2, 36:

*atque in pari stultitia sunt, quos signa, quos tabulae, quos caelatum argentum, quos Corinthia opera, quos aedificia*  
3 *magnifica nimio opere delectant. 'at sumus' inquit 'principes civitatis'. vos vero ne conservorum quidem vestrorum principes estis.*

<sup>1</sup> Eodem modo *quam vultis, quam velis*, talia comparari cum particula *quamvis* adnotavit Schmalzius Nov. ann. vol. CXLIII (1891) pag. 216.

<sup>2</sup> Livius praef. 6: *quae ante conditam condendamve urbem . . . traduntur.*

at versu 3 quis primus scripserit nescio; debebat M. Seyffertus Scholarum latinarum vol. I pag. 141 adn. ed. IV, quia scilicet in occupatione si *at* positum esset, *inquit* praeter necessitatem et usum adderetur. sed in codicibus est *et*. scribendum est *et* 'sumus' *inquit* 'principes civitatis', hoc est *und da sagt man* 'wir sind die Ersten im Staate'. *Aber wahrlich, ihr seid nicht einmal unter euren Mitsklaven die Ersten.* confer de nat. deor. I 32, 91, quo plura conguessit I. B. Mayor: *dicitis . . casu esse factum ut essemus similes deorum. et nunc argumenta quaerenda sunt (und da soll man nun nach Gründen suchen), quibus hoc refellatur. utinam tam facile vera invenire possim quam falsa convincere.*

Alterum hoc est. in Paradoxo tertio haec fere habent codices 2, 26:

*poetam non audio in nugis: in vitae societate audiam civem digitis peccata dimetientem sua? si visa sint breviora, leviora videantur quoi possunt videri, cum quicquid peccetur perturbatione peccetur rationis atque ordinis, perturbata autem semel ratione et ordine nihil possit addi quo magis peccari posse videatur.*

*quoi* versu 3 habuit codex Vindobonensis primitus, in quo deinde nescio quid correctione effectum (fortasse *quo, i*<sup>a</sup>), denique extremis litteris erasis relictum *quo*, quod etiam Vossiani habent. Halmius ex Madvigii coniectura deleta *si* scripsit: *visa sint breviora, leviora qui possunt? cum* eqs. Muellerus Nov. ann. vol. LXXXIX (1864) p. 132 haec coniecit: *si vis, sane sint breviora, leviora qui possunt videri? cum* eqs.; idem pro *sint* fortasse ponendum esse *videantur* adnotavit in editione. proxime ad verum accessit Ieepius in programmate gymnasii Guelferbytani a. 1868 pag. 15: *si visa sunt breviora, leviora videantur? qui possunt videri? cum* eqs. oportebat potius sic scribi: 'si visa sint breviora, leviora videantur.' *quoi possunt videri, cum* eqs. nam prima verba cuiusnam sunt nisi civis illius digitis, ut ait, dimetientis peccata sua?

IX Maiora quam satis sit vulgo doctos moliri puto etiam in his, quibus in primo DE NATURA DEORUM Velleius incipit veterum philosophorum placita recensere 10, 25:

*atque haec quidem vestra Lucili qualia vero est, ab ultimo repetam superiorum. Thales enim Milesius, qui primus*

*de talibus rebus quaesivit, aquam dixit esse initium rerum, deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret, 5 sic dei possunt esse sine sensu et mente(m) cur aquae adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore.*

ita enim illa in codicibus scripta sunt, qui, si leuiuscula quaedam excipias, hac una re inter se discedunt, quod *mentem* habet Vossianus B, A (cum Heinsiano) *mente*; nam Vindobonensis ea pars amissa est. Ac de primis quidem verbis, quae nec a quocumque aliqua cum probabilitate tractata sunt nec fore ut umquam certa ratione emendentur videtur posse sperari, nolo disputare: hoc moneo, ne quis opinione aliqua de iis concepta abutatur ad graviores quaestiones, quae sunt de totius huius libri compositione, solvendas. De sequentibus, quamvis sint falsa quae de Thaletis placito Velleius narrat, tamen non posse dubitari propter Lactantii (div. inst. I 5, 16) et Minucii (Octav. 19, 4) testimonia dudum est intellectum. sed deinde Velleium nondum desierunt Thaleti facere obicientem quibus futtiliora non potuit. haec enim legimus in C. F. W. Muelleri et A. Goethii exemplis: *si di possunt esse sine sensu et mente, cur aquae <mentem, menti autem cur aquam> adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore?* quae ita scripta sunt auctore Schoemanno, a quo ne Baiterus quidem discessit nisi collocatione verborum. iam si hoc tenemus, in sententia Thaletis, qualis apud Ciceronem est, nihil esse de divina aquae natura dictum, sed aquam ita commemorari quasi fuerit ab initio mente vacans, apparet 'deos' non posse vocari nisi ipsam mentem, noto usu numeri pluralis, qui tamquam de toto genere ponitur, quamquam eius generis de una re agitur. quod si vocabulo 'dei' significatur mens, eam non posse dici ex Thaletis sententia esse sine sensu *et mente* manifestum est. nec vero id fugit Schoemannum, qui ea difficultate adductus ita statuit, hanc Velleii adversationem accommodatam esse ad eam Thaletis sententiam, qua nunc creditur docuisse aquam initio rerum vi quadam movendi imbutam fuisse; in ipsa autem Thaletis sententia enarranda Ciceronem non satis accurate egisse. quae ratio quam sit per se ipsa probabilis mitto quaerere; illud vellem exposuisset Schoemannus, quo tandem modo fuisset animatum illud rerum initium sensu et mente carens, aut quid illud alterum sibi vellet argumentum, quo de ipsa mente quaeritur; quod quidem ipsum qui potest negari ad Ciceronianam Thaletici dei definitionem aptum esse atque accommodatum. sed vides fieri quod saepe fit: de rebus planis atque perspicuis dubitatur, quia de

ambiguis praeoccupata est opinio. unde enim ista nata est opinio, qua viri docti haec ita supplenda esse sibi persuaserunt, ut duae periodi pariter structae inter se iungerentur? nempe inde, quod videbant duas sententias incipere a coniunctione *si*, apodosin extare unam<sup>1</sup>. qua re motus primus Lambinus, ne alterum *si* apodosi careret, haec coniecit: *si dei possunt esse sine sensu, cur mentem aquae, cur aquae mentem adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore*. quibus similia sunt quae Klotzcius et Mayor excogitaverunt. quae de dei notione satis supra refutata sunt; ea autem si utaris vera, hoc nomine illa Lambini reliquorumque commenta praestant iis, quae supra commemoravimus, quod mens non dicitur ex Thaletis sententia esse sine sensu et mente, in hoc autem vitium incurrunt, ut bis idem dicere videatur Velleius, quod recte vituperavit Schoemannus opusc. acad. vol. III p. 359. nos cum reputamus illa *et mente* non posse ferri in priori refutationis parte, in posteriori autem *mentem* desiderari, hoc rati in codice B servatum esse integrum et Thaletis placito, quale fuisse narrat Cicero, et verbis traditis sic plane putamus satisfieri:

*Thales . . . aquam dixit esse initium rerum, deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret: si[c] dei possunt esse sine sensu; et mentem cur aquae adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore?*

Duo sunt Velleii contra Thaletem argumenta; quorum prius petitum est ex ea Epicureorum sententia, quam illi omnibus natura ingenitam esse putabant, ut deus non posset cogitari nisi sensu (αἰσθησει) instructus, ut infra 11, 27 ait Anaxagoram refellens *aperta simplexque mens nulla re adiuncta, qua sentire possit, fugere intellegentiae nostrae vim et notionem videtur*, et similiter de Platone 12, 30, de Aristotele 13, 33, de Aristone 14, 37. neque id superiorum quosdam videtur latuisse, e quibus Buherius<sup>2</sup> Davisius<sup>3</sup> Beckerus<sup>4</sup> Weidnerus<sup>5</sup> proxime ad meam sententiam ac-

<sup>1</sup> Ne quis sibi persuadeat, duas, ut saepe fit, protases cum una eademque apodosi coniunctas esse, cautum est Madvigii adnotatione de fin. I 3, 7.

<sup>2</sup> *Remarques sur Cicéron, nouvelle édition, Paris 1746*, pag. 17: *qui dei possunt esse sine sensu?*

<sup>3</sup> *sic dei p. e. s. s. at mentem . . .*

<sup>4</sup> Progr. gymn. Budingensis 1865 p. 14 ss.: *sic dei possunt esse sine sensu! sed mentem . . .*

<sup>5</sup> Philologi t. XXXVIII p. 89: *sed nec di possunt e. s. s., et mentem . . .*

cesserunt; formam autem orationis non agnoverunt, cuius ea est vis et natura, ut ad unum vocabulum per coniunctionem si adiungatur enuntiatum pendens, quo quam recte aut quam apte positum sit illud vocabulum repetito eo ipso dubitetur. pauca adferam exempla. Philipp. II 36, 90 *etsi tum, cum optimum te putabant me quidem dissentiente, funeri tyranni, si illud funus fuit, sceleratissime praefuisti.* epist. IX 17, 1 *de lucro prope iam quadriennium vivimus, si aut hoc lucrum est aut haec vita, superstitem rei p. vivere.* epist. XI 8, 2 *Romae dilectus habetur totaque Italia, si hic dilectus appellandus est, cum ultro se offerunt omnes: tantus ardor animos hominum occupavit* eqs. de divin. II 14, 33 *haec observari certe non potuerunt, ut supra docui; sunt igitur artis inventa, non vetustatis, si est ars ulla rerum incognitarum.* Velleius ipse infra sic disserit 14, 36: *atque hic idem alio loco aethera deum dicit, si intellegi potest nihil sentiens deus, qui numquam nobis occurrit neque in precibus neque in optatis neque in votis*<sup>1</sup>. non aliter nunc dicit *Thales . . dixit esse . . deum . . eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret, si dei possunt esse sine sensu*, hoc est 'istuc si ponitur, ipsum nomen dei amissum est'. nam quod ad illa *si dei* eqs. nova adnectitur sententia atque ea per quaestionem enuntiata, qua quam verum illud sit, deos non posse esse sine sensu, inde cognosci significatur, quod ea ipsi Thaleti fuerit causa inconstantiae, id quamquam in illis exemplis non habet quod plane sit eius simile, tamen leviusculum esse et ferendum puto in hac praesertim oratione, quae etiamsi ornatior est verbis quam solebant Epicurei probare (confer 21, 58), tamen consulto depingat hominem studio elatum (20, 56) et quasi exanimatum impetu pro divini magistri placitis pugnantem.

X Postquam tot locis codicum lectiones conati sumus defendere, liceat etiam coniecturas quasdam proferre. Platonis verba quae sunt in TIMAEO pag. 29 B latine, si codicibus fidem habemus, sic vertit Cicero 3, 7 s. (pag. 997, 12):

ὡδε οὖν περί τε εἰκόνοσ καὶ περί τοῦ παραδείγματοσ  
*de his igitur, quae diximus, haec sit prima distinctio.*

αὐτῆσ διοριστέον, ὡσ ἄρα τοὺσ λόγουσ,  
*omni orationi cum is*<sup>2</sup> *rebus,*

<sup>1</sup> Confer Th. Wopkensis lectiones Tullianas pag. 121 s.

<sup>2</sup> *his libri.*

ὑνπέρ εἰς ἐξηγηταί, τούτων αὐτῶν καὶ ζυγγενεῖς  
*de quibus explicat*<sup>1</sup>, *videtur esse cognatio*<sup>2</sup>.  
 ὄντας· τοῦ μὲν οὖν μονίμου καὶ βεβαίου καὶ μετὰ νοῦ  
*itaque cum de re stabili et immutabili disputat*  
 καταφανοῦς μονίμους καὶ ἀμεταπτώτους καθ' ὅσον  
*oratio, talis sit qualis illa*<sup>3</sup>  
 οἶόν τε καὶ ἀνελέγκτοις προσήκει λόγοις εἶναι καὶ  
*neque redargui neque convinci potest.*  
 ἀκινήτοις, τούτου δεῖ μηδὲν ἐλλεῖπειν.

Platonis verba posui ita ut tradita sunt, quia de emendandis non audeo sententiam ferre, nec quaero nunc, qui factum sit, ut Chalcidius eodem nomine ab illis discederet quo Cicero. sed hoc apparet, neque his verbis τούτου δεῖ μηδὲν ἐλλεῖπειν quidquam apud Ciceronem esse quod respondeat, neque ullum apud hunc inveniri eius vestigium exceptionis, quae videtur inesse in illis quae incipiunt a καθ' ὅσον. nam quod illa non vertit Cicero μετὰ νοῦ καταφανοῦς, id minoris momenti est eodemque videtur factum esse studio supervacanea recidendi, quo inductus noluit dicere orationem esse stabilem, ut hanc vocem bis poneret sic ut Plato posuit μονίμου et statim μονίμους, sed haec ita deflexit, ut diceret orationem talem fieri qualem rem illam, hoc est stabilem et immutabilem. *fit* enim scribendum esse censeo pro *sit*, quia nec postulandi nec dubitandi vis esse potest in hac sententia (quamquam non defuit qui etiam in iis quae secuntur, *cum autem ingressa est imitata et efficta simulacra, bene agi putat, si similitudinem veri consequatur, scribi vellet putet*); de eo autem, quod conieci, confer, si tanti est, de fin. III 5, 10 *verum tamen cum de rebus grandioribus dicas, ipsae res verba rapiunt: ita fit cum gravior tum etiam splendidior oratio*<sup>4</sup>. nam *sit* pro *fit* scribi potuit etiam in antiqua litteratura propter similem sonum; quo modo etiam in I de re publica 34, 53 haec habentur in libro rescripto: *eaque quae appella[bi]tur aequabilitas iniquissima(e)st; cum enim par habetur honos summis et infimis, . . . ipsa aequitas iniquissima sit*; extremum enim verbum olim FIT potius fuisse

<sup>1</sup> *explicata* libri, emendavit Orellius.

<sup>2</sup> *cognitio* libri primitus, correctum in Vossianis.

<sup>3</sup> Post *illa* in Vossianis additum *quae*.

<sup>4</sup> Adde de fato 7, 14 *si igitur quod primum in conexo est necessarium est, fit etiam quod consequitur necessarium*. de corruptela confer de fin. IV 12, 30 cum Madvigii adnotatione et Ennii versum apud Cic. de re p. I 18, 30 a Vahleno emendatum.

existimo quam (E)ST, quia hac ipsa sententia exponitur, aequitas quo modo aut quo in genere — quippe quae in pluribus versetur — fieri soleat ut iniquissima sit. sed ut illuc redeamus, coniunctivus si probetur, necessario *possit* quoque scribendum est pro indicativo. quod acute vidit Kaysérus (apud Baiterum), pronomine *quae*, quod ferebatur post *illa*, relato ad *talis*, ut haec *qualis illa* tamquam media viderentur esse interposita. neque id aliter institui poterat ita ut sententia sibi constaret; neque enim res apte dicitur redargui et convinci, et expressa esse ea verba apparet ex Platonis illis ἀνελέγκτοις et ἀκινήτοις, quae adiuncta sunt λόγοις. sed Vossianorum correctorem, qui illud *quae* adiecit, mentem auctoris perspexisse non credo, sed *quae* referri voluisse ad *illa*, ‘illam’ autem intellegi orationem aliquam exempli causa fictam. codicum autem scriptura, si excipias illud *sit*, apta plane atque proba est, qua illa explicandi causa antecedentibus subiciantur nulla interposita particula. qua forma orationis non solum homo brevitatis studiosus usus est Sallustius, Catilinae 11, 3 *avaritia . . . semper infinita insatiabilis est: neque copia neque inopia minuitur*, Iugurthae 85, 23 *maiorum gloria posteris quasi lumen est: neque bona neque mala eorum in occulto patitur*, sed interdum ipse Cicero, velut de nat. deor. II 38, 96 *sed adsiduitate cotidiana et consuetudine oculorum adsuescunt animi: neque admirantur neque requirunt rationes earum rerum quas semper vident*, ubi non dicendum est prius illud *neque* etiam copulandis inter se orationis partibus inservire, ut sit fere et *neque*, quod non magis verum est quam si *neque* valere dicas tamen *neque* in adversativa sententiarum ratione de divin. II 68, 142 *nunc quidem . . . et lucubrationes detraxi et meridiationes addidi . . .: nec tam multum dormiens ullo somnio sum admonitus . . . nec mihi magis umquam videor, quam cum aut in foro magistratus aut in curia senatum video, somnigare.*

XI Platonis haec sunt in TIMAEO p. 33 B: *σχῆμα δὲ ἔδωκεν αὐτῷ τὸ πρέπον καὶ τὸ ζυγγενές.* apud Ciceronem haec feruntur 6, 17 (pag. 1000, 5):

*formam autem et maxime cognatam et decoram dedit.*

in quibus addito *maxime* articuli vim mihi videtur expressisse, idque tantum abest ut ad unum ‘cognatum’ pertineat, ut a ‘decoro’, quo id non universe dictum, sed ad certam quandam naturam relatum esse appareat, illud non videatur posse abesse; quem ad modum etiam de legibus II 18, 45 *color autem albus*

inquit *praecipue decorus deo est, cum Plato habeat de leg. XII p. 956 A. χρώματα δὲ λευκὰ πρέποντ' ἄν θεοῖς εἶη.* in ea autem quae tradita est conformatione orationis dubito an *maxime* non valeat etiam ad decori vim augendam; et in similibus video Ciceronem aut unum *et* ponere, ut de re p. III 8, 12 *eam virtutem, quae est una . . . maxime munifica et liberalis,* de nat. d. III 12, 31 *ignis vero . . . cedens est maxime et dissipabilis,* Tusc. III 10, 22 *qui maxime forli et ut ita dicam virili utuntur ratione,* aut coniunctione répetita illud *maxime* praemittere, ut de divin. II 1, 1 *maximeque et constans et elegans,* epist. XIII 12, 1 *mei maxime et familiaris et necessarii.* unum exemplum quod inveni illi simile, eo tamen nomine est diversum, quod *maxime* priori adiectivo postpositum est, pro Sestio 3, 6 *ut utriusque eorum et carus maxime et iucundus esset.* idem illud incommodum sensisse apparet libri Vindobonensis correctorem, qui cum alterum *et* in eo libro omissum esset ante *decoram* supplevit *et maxime.* sed sententia videtur flagitare dativum *ei,* ut *cognatam* et *decoram* habeant quo referantur; et Plato quidem habet αὐτῷ. quae cum ita sint, Ciceronem suspicor scripsisse: *formam autem ei maxime cognatam et decoram dedit.*

XII In EODEM LIBRO haec sunt Platonis pag. 40 AB, Ciceronis 10, 36 (p. 1005, 27):

κινήσεις δὲ δύο προσῆψεν ἑκάστῳ, τὴν μὲν ἐν ταύτῳ  
*dedit autem divinis duo genera motus, unum quod sem-*  
 2 κατὰ ταῦτὰ περὶ τῶν αὐτῶν αἰεὶ τὰ αὐτὰ ἑαυτῷ δια-  
*per esset in eodem de quo et idem omnibus atque uno*  
 νοουμένῳ, τὴν δὲ εἰς τὸ πρόθεον ὑπὸ τῆς ταυτοῦ  
*modo celaret, alterum<sup>1</sup> quod in anticam<sup>2</sup> partem a con-*  
 καὶ ὁμοίου περιφορᾶς κρατούμένῳ.

*versione eiusdem et similis pelleretur.*

versu 2 quae tradita sunt reliqui. in deterioribus codicibus et editionibus nihil probe inventum, sed vili coniectura pro *de quo* scriptum est *aeque,* quod nihil habet quo commendetur nisi litterarum quandam similitudinem, tum inter *idem* et *omnibus* in quibusdam insertum aut *in* aut *ut;* pro *celaret* plerique habent *cele-*

<sup>1</sup> omisit V.

<sup>2</sup> *inanti|quam,* sed *ti* a corr. in rasura II vel III litterarum A, *inanit* quam correctum in *inaliquam* V, *inaniti* quam B, emendavit Victorius.

raret, idque fuit etiam qui defenderet ita, ut diceret Ciceronem non διανοουμένῳ legisse sed δινουμένῳ. ista igitur nihili sunt. sed si conferimus Platonem, in posteriori orationis membro intellegimus Ciceronem quae apud illum videret relata ad ἐκάκτω, una serie cum reliquis ita enuntiavisse, ut omnia dicerentur de altero illo motus genere. quare licet suspicari in priori membro eandem rationem obtinere et in illo celaret latere quo reddatur διανοουμένῳ. atque in ea re verum mihi videntur vidisse C. F. Hermannus in libello academico Gottingae a. 1842 edito pag. 37 et Kayserus apud Baiterum, quamquam ille dubitabat ipse; sed quod coniecerunt, cogitaret, id et graeco verbo satisfacit et qua ratione potuerit depravari facile est intellectu. iam reliqua si consideramus, Ciceronis verba *unum quod semper esset in eodem* apparet respondere his verbis Platonis τὴν μὲν ἐν ταύτῳ αἰεί, haec autem περὶ τῶν αὐτῶν . . τὰ αὐτὰ ἑαυτῷ διανοουμένῳ quibus reddantur effici si scribamus *idem* <de> *omnibus atque uno modo* <co>gitare, eaque ut adnectantur superioribus aut *et* aut *et quod* esse inserendum. iisdem rationibus usus esse videtur Kayserus, a quo in reliquis mihi discedendum esse video. effecit enim haec *unum quod semper esset in eodem aequae, et idem de omnibus atque uno modo cogitaret*; in quibus mihi supra dixi displicere illud *aequae*, quo Ciceronem non puto usurum fuisse, si voluisset vertere illa quae restant ex graecis κατὰ ταῦτά. quam formulam semper fere reddidit ‘uno atque eodem’ vel simillime, plerumque addito *semper*<sup>1</sup>; sed ut pag. 1001, 16, quamquam Plato

<sup>1</sup> Plato p. 28 A αἰεὶ κατὰ ταῦτά δὲν — Cicero pag. 996, 9 *quod unum atque idem semper est*, ibid. τὸ κατὰ ταῦτά δὲν — 996, 26 *eam speciem, quae semper eadem*, 29 A τὸ κατὰ ταῦτά καὶ ὡσαύτως ἔχον — 997, 2 *quod semper unum idem* <que> *et sui simile*, 34 A κατὰ ταῦτά ἐν τῷ αὐτῷ καὶ ἐν ἑαυτῷ περιγαγῶν — 1000, 26 *una conversione atque eadem circum se torquetur et vertitur*, 35 A τῆς . . . αἰεὶ κατὰ ταῦτά ἐχούσης οὐσίας — 1001, 16 *ex ea materia, . . . quae semper unius modi suique similis*, 36 C τῆ κατὰ ταῦτά καὶ ἐν ταύτῳ περιγαγομένη κινήσει — 1002, 15 *eo motu, cuius orbis semper in eodem erat eodemque modo ciebatur*, 37 B τὰ κατὰ ταῦτά ἔχοντα — 1003, 17 *ea quae sint semper eadem*, ibid. ὁ κατὰ ταῦτὸν . . . γιγνόμενος — 1003, 18 *quae versatur in iis, quae sunt semper eadem*, 41 D κατὰ ταῦτά ὡσαύτως — 1007, 27 *ut ea quae semper eadem* (sic H. Stephanus, *isdem* codices, *idem* editiones). simile genus hoc est: 39 A διὰ τῆς ταῦτοῦ φορᾶς — 1004, 16 *in eiusdem naturae motum*, ibid. τῆ . . ταῦτοῦ φορᾶς — 1004, 19 *motu unius eiusdemque naturae*, 39 B παρὰ τῆς ταῦτοῦ καὶ ὁμοίου περιφορᾶς —

simplex illud αἰ κατὰ ταῦτὰ praebebat, tamen eadem sermonis ubertate usus est qua p. 997, 2, ubi etiam ille plenius locutus erat, ita 1007, 27 κατὰ ταῦτὰ ὡσαύτως simpliciter reddere contentus fuit. itaque illo quoque loco, e quo egressi sumus, licebit eum statuere, cum deberet ponere quattuor, in tribus substituisse, praesertim cum ne ex iis quidem, quae his similia sunt pag. 1002, 15, quidquam de his possit effici. accedit quod, cum haec sic scripta videam *in eodem* † *de quo et idem* <de> *omnibus*, mirari satis non possum, quo casu factum sit, ut quae vox post *idem* intercidisset, eadem post *eodem* subnasceretur. itaque conicio *de*, quod olim post *idem* omissum esset, deinde per errorem additum esse post *eodem*, illa autem *quo et* coniectura effecta esse ex *quod et* tum, cum iam *de* suo loco motum esset, ut Cicero haec scripserit: *unum, quod semper esset in eodem et quod idem de omnibus atque uno modo cogitaret*, ea pronominis relativi abundantia, qua cum in aliis usus est<sup>1</sup> tum in hoc libello 4, 12 p. 998, 18 *quod enim pulcherrimum in rerum natura intellegi potest et quod ex omni parte absolutissimum est*, 7, 21 p. 1001, 15 *ex ea materia, quae individua est et quae semper unius modi sui que similis*, 10, 37 p. 1006, 14 *de deorum, qui cernuntur quique sunt orti, natura*.

XIII Paulò infra haec leguntur in codicibus 11, 38 p. 1006, 23:

*sed quia de suis notis rebus videntur loqui, veteri legi morique parendum est.*

Plato habet p. 40 E ἀλλ' ὡς οἰκεῖα φακόντων ἀπαγγέλλειν ἐπομένους τῷ νόμῳ πιστευτέον. quibus sufficiebant haec *sed quia de suis rebus videntur loqui* eqs. neque quidquam desideraremus, si ea tantum tradita essent. illud autem, quod libri ex-

---

1004, 27 *ab eiusdem motu et ab eo quod simile esset*, 39 D τῷ τοῦ ταῦτοῦ καὶ ὁμοίως ἰόντος . . κύκλῳ — 1005, 11 *idem et semper sui similis orbis*, 40 B ὑπὸ τῆς ταῦτοῦ καὶ ὁμοίου περιφορᾶς — 1005, 29 *a conversione eiusdem et similis*, 42 C ταῦτοῦ καὶ ὁμοίου — 1008, 21 *eiusdem et sui similis* (sui scripsi, uni codices). liberius vertit 29 A τὸ κατὰ ταῦτὰ ἔχον — 997, 9 *quod . . aeternitate inmutabili continetur*, 40 B κατὰ ταῦτὰ ἐν ταῦτῳ στρεφόμενα — 1006, 2 *suis sedibus inhaerent*. conf. Acad. I 8, 30 *quod semper esset simplex et unius modi et tale quale esset*, Luc. 42, 129 *unum et simile et idem semper*.

<sup>1</sup> confer C. F. W. Muelleri adnotationes ad Verrinae V 19, 48 (p. 446, 18 s.) et de nat. deor. II 9, 23 (p. 55, 7 s.).

hibent, quo modo ferri possit non video. quare non inscite Baierus ad *suis* statuit olim interpretandi causa adscriptum esse *notis* idque deinde per errorem in seriem verborum receptum. et certe eorum conatus improbandi sunt, qui additis praeter necessitatem verbis orationem debilitarunt potius quam sublevarunt, ut H. Stephanus coniecit *de suis* <*sibique*> *notis rebus*, quod idem postea Kayserus proposuit, similique ratione usus est Lambinus. nam altera eiusdem Stephani coniectura, qua scribendum putavit *de sibi notis rebus*, eo nomine displicet, quod haec minus conveniunt ad Platonis οἰκεία quam illud quod traditum est, *suis*. sed cum codicem B habere videam *de suis bis notis rebus*, deleto *bis* a correctore, in iis latere suspicor verum opinorque archetypum habuisse illum quidem *notis*, sed adscriptam, in margine fortasse, *bis* syllabam, ut legendum esset *nobis*. quod quamquam non flagitatur sententia, tamen potuisse a Cicerone addi qui potest negari? de collocatione autem verborum, qua *nobis* inter substantivum et adiectivum ei adiunctum est interpositum, conferas quae Vahlenus attulit ad libros de legibus p. 185, 3, *summum a vobis bonum voluptas dicitur* de fin. II 6, 18, alia. nimirum veteres vivae voci multo plus tribuerunt quam nos solemus; et quam debili accentu *nobis videtur* et talia fere pronuntiata sint ostendunt etiam illa de leg. I 2, 5 *non solum mihi videris eorum studiis, qui litteris delectantur, sed etiam patriae debere hoc munus*.

XIV Postremi capituli argumentum ex versibus petimus, quibus Cicero consulatum suum celebravit. enumerat enim (DE DIVINATIONE I 12, 19) plane ut in Catilinarum tertia 8, 19 s. ostenta quae Cotta et Torquato consulibus facta erant, Capitolium de caelo percussum, Nattae simulacrum depulsum, legum aera liquefacta, lupam cum pueris e basi avolsos. deinde sic pergit:

<sup>pag. 488</sup>  
ed. Tur. II *Tum quis non artis scripta ac monumenta volutans*

*Voces tristificas chartis promebat etruscis:*

*Omnes civilem generosa stirpe profectam*

14 *Vitare ingentem cladem pestemque monebant,*

15 *Vel legum exitium constanti voce ferebant,*

*Templa deumque adeo flammis urbemque iubebant*

*Eripere et stragem horribilem caedemque vereri.*

mitto nunc reliqua. sed in illis codices minores habent a vulgata, quam posui, lectione discrepantias has: *civile generosam* v. 13, quod noto genere erroris ortum esse apparet, nam *civilem generosa*



- 15 *Tum legum exitium constanti voce ferebant,  
Templa deumque adeo flammis urbemque iubebant  
Eripere et stragem horribilem caedemque vereri.*

Berolini.

O. Plasberg.

## Index locorum

| Cicero                        | pag.            |                                   | pag.            |
|-------------------------------|-----------------|-----------------------------------|-----------------|
| Cat. mai. 17, 61 . . . . .    | 85              | Timaei 3, 8 p. 997, 12 . . . . .  | 89              |
| de divin. I 12, 19 . . . . .  | 95              | — 4, 13 p. 999, 6 . . . . .       | 74              |
| — — II 25, 54 . . . . .       | 85              | — 5, 14 p. 999, 8 . . . . .       | 76              |
| Lael. 4, 14, 7, 25 . . . . .  | 70              | — 5, 14 p. 999, 14 . . . . .      | 73              |
| de nat. d. I 10, 25 . . . . . | 86              | — 5, 15 p. 999, 17 . . . . .      | 76              |
| de offic. III 2, 10 . . . . . | 73 <sup>1</sup> | — 6, 17 p. 1000, 5 . . . . .      | 91              |
| paradox. I 2, 11 . . . . .    | 83              | — 7, 24 p. 1002, 9 . . . . .      | 74              |
| — III 2, 26 . . . . .         | 86              | — 8, 27 p. 1003, 12 . . . . .     | 77              |
| — IV 2, 32 . . . . .          | 82              | — 10, 36 p. 1005, 27 . . . . .    | 92              |
| — V 2, 36 . . . . .           | 85              | — 11, 38 p. 1006, 23 . . . . .    | 94              |
| — V 3, 40 . . . . .           | 81              | — 12, 45 p. 1008, 21 . . . . .    | 93 <sup>1</sup> |
| de re publ. I 1, 1 . . . . .  | 71              | Antistius Labeo ap. Festum        |                 |
| — I 34, 53 . . . . .          | 90              | XII 21, 9 . . . . .               | 77              |
| — II 42, 69 . . . 67 sqq.     |                 | ad Herenn. I 6, 10 . . . . .      | 79              |
| — III 5, 8 . . . . .          | 70              | Plaut. Pers. 452 . . . . .        | 80              |
| — III 5, 9 . . . . .          | 66              | Quintil. i. o. I 6, 3 . . . . .   | 75              |
| — III 7, 11 . . . . .         | 68              | Varro de l. lat. X 1, 2 . . . . . | 75              |
| — frg. ap. Sen. ep.           |                 | — — X 3, 37 . . . . .             | 76              |
| 108, 32 s. . . . .            | 70              | — rer. rust. III 4, 1 . . . . .   | 79              |

## Erratum.

Huius voluminis pagina 86 versu 23 quod primo recte scripseram, codices Vossianos habere *qui*, id postea nescio quo errore ita mutavi, ut iam legatur quod verum non est. aegre fero factum; ignoscet qui homo est. hoc addo, illud *qui* habere cur praeferendum videatur; sed id alias persequar. O. P.

---

Verantwortlicher Redacteur: L. Radermacher in Bonn.

(27. September 1898.)